



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Reverendi Dom. D.|| Leonardi || Rvbeni SS. Theolo-||giae  
Licentiati Abbatis || Ordinis D. Benedicti Mo-||nasterij  
Sanctorum Apostolorum Petri & || Pauli Abdinckouensis,  
in ciuitate || ...**

**Ruben, Leonhard**

**Padibornae, 600 [i.e. 1600]**


**VD16 R 3400**

Cap. IIII. Qua fide & conscientia pseudoprophetae doceant.

[urn:nbn:de:bvb:12-bsb10194563-1](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bvb:12-bsb10194563-1)

*Apostatarū de-  
scriptio.*

nostris loquitur Prouer. 6. 12. *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat, huic ex templo veniet perditio sua & subito conteretur, nec habebit ultra medicinam.* Examina hæc christiane lector, & ad nostra ab apostatis exulcerata tempora accommodatissima iudicabis.



## CAPVT IIII.

QVA FIDE ET CON-  
scientia pseudoprophetae  
doceant?

*Qua fide  
doceant  
pseudo-  
prophetae.*

*Quid Hy-  
pocrisis.*

**Q**VA fide & conscientia doceant, vno verbo complectitur D. Paulus. Cum enim I. Timoth. 4. 1. ostendisset eos docere doctrinam Dæmoniorum, subiunxit statim. *In hypocrisis loquentium mendacium, cauteriatam habentium suam conscientiam.* Fide scilicet hypocritita. In hypocrisis, inquit D. Bernardus ser. 66. super Cantica, hoc est, vulpina calliditate. Est enim callida simulatio quoddam mendacij genus, quo aliud factum, seu habitu externo indicatur: & aliud, seu potius contrarium, in  
abditis

abditis animi recessibus occultatur. Huic simulationi, vt docet D. Th. 2. 2. q. III. art. 2. subiecta est hypocrisis, externa sanctitatis specie internam animi occultans improbitatem. Hi sunt qui tanta sanctitatis & pietatis specie veniunt, & festucam in oculis Catholicorum Matth. 7. 5. vident, trabem verò quercinam, licet sibi lynceos oculos persuadeant, in suis & suorum oculis intueri minimè possunt. Quorum spes ita breuis est, vt statim pereat, Iob 8. 13. atque adeò gaudium illorum sit instar puncti Iob. 20. 5. cùm secundum vaticinium Isaia cap 33. 14. timor possidebit hypocritas, & illis sempiternum væ toties à Christo Domino Matth. 23. intentatum superueniet. *Non enim veniet in conspectu Domini omnis hypocrita: vt est Iob. 13. 16. loquitur. n. mendacium.* A foribus ergò cœlestis Ierusalem arcebuntur, vt omnes qui amant & faciunt mendacium, Apocalyp. 22. 15. *Demum congregatio hypocrita sterilis, inquit Eliphaz Themanites, Iob. 15. 34. & ignis deuorabit tabernacula eorum.* Et mox causam subiungens, *concepit dolorem & peperit iniquitatem, & uterus eius preparat dolos.* Nil *Qua cõ-* clarius dicere potuit de fide illorũ hypocri *scientia* tica. Nunc conscientia illorũ examinemus. *doceant.*  
Ecclesie

Ecclesiæ catholicæ, & verorum prophetarum gloria semper hæc fuit, cum D. Paulo 2. Cor. 1. 12. testimonium conscientia eorum, quod in simplicitate, & sinceritate Dei conuersati sint. *Abdicant enim*  
*Conscien* *cum eodem D. Paulo 2. Cor. 4. 2. occulta de-*  
*tie bonū.* *decoris, non ambulantes in astutia, neq; adul-*  
*terantes verbum Dei, sed in manifestatione*  
*veritatis, commēdantes semetipsos ad omnem*  
*conscientiam hominum coram Deo: habentes*  
*1. Tim. 1. 5. cum fide non ficta conscientiam*  
*bonam, & ut est ibidem cap. 3. 9. magisterium*  
*fidei in conscientia pura. Atq; adeo propter*  
*Dei conscientiam, ut inquit D. Petrus 1.*  
*Pet. 2. 19. sustinuerunt tristitias, patientes*  
*iniustè. Falsi verò prophetae frequenter,*  
*Conscien* *ut est Sap. 17. 10. 11. Præoccupant pessima,*  
*tia falso-* *redarguente etiam eorum conscientia, semper*  
*rum pro-* *enim presumit in omnibus rebus, & contra*  
*phetarū.* *Deum, & sanctos eius, seu a & perturbata con-*  
*scientia. Hinc rectè cauteriata dicitur hoc*  
*in loco à D. Paulo. Est enim cauterium,*  
*instrumentum chyrgorum aut medi-*  
*corum, quo morbos quosdam, qui nulla*  
*ratione curari queunt, certis notis inurūt,*  
*atq; sic iniusti, cauteriati dicuntur.*

Sic falsi prophetae eò iniquitatis deue-  
 nerunt, ut inquinatæ sint eorum, ut inquit  
 D. Pau-

D. Paulus Tit. 1.15. & mens & conscientia,  
 Quam scientiam habuisse putas Lutherum,  
 cùm in libro de abroganda missa priuata,  
 anno 1521. ad fratres suos Augustinianos  
 Vvittenbergeses, qui primò omnium mis-  
 sas abrogauerant, vrget, vt in incepto ne-  
 gotio, contra conscientiaē accusationem  
 constanter persistant, sicut & se in quibus-  
 dam egisse asserit? Qua conscientia eun-  
 dem fuisse fateberis, cum Bucerum ad se  
 venientem recipere noluit, eò quod asse-  
 reret, se nulla pectoris pace perfrui posse,  
 quòd testante conscientia saniozem & ve-  
 riorem iudicaret catholicorum, quàm no-  
 ui euangelii doctrinam? Ad quem Luthe-  
 rus, Abi ergò, & pugna contra hanc con-  
 scientia, donec prorsus confitefcatur, & tunc  
 eris mihi commodus administer. Non-  
 nullos etiam fuisse ex eorum numero, qui-  
 bus cauteria ob praua crimina & consciē-  
 tiam sceleratam à magistratu ciuili iniusta  
 fuerunt, nemo est qui Caluini vitam lege-  
 rit, qui nesciat. Posito itaq; qua fide &  
 conscientia agant, nunc quo fine  
 doceant, discutiamus.

*Lutherus  
 contra cō  
 scientiam  
 agi iubet.*

*Buceri  
 conscientia.*

\* \*  
 \*

CAPVT